



Universitätsbibliothek Paderborn

Cvrsvs Theologici ...

Ea Brevitate Conscriptus, Qvam Tot Tantarvmqve Rervm Amplitudo Et
Varietas Patitvr ...

Quas Prima Pars Et Prima Secundæ Divi Thomæ Complectvntvr -
Qvæstiones Insvper Ad Mores & praxim spectantes, quæ peculiarem cum
Scholasticis habent connexionem, declarantur

Carleton, Thomas Compton

Leodii, 1659

Sect. I. Nonnulla circa virtutis in genere naturam annotantur.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13718

DISPV TATIO LXXXVII.

De Virtutibus in genere.



DE habitibus longam hic à nonnullis Disputationem institutam video; & quid sint, quod eorum munus, à quo principio procedant, in quibus rebus inveniuntur, cui insunt subiecto, quo pacto inter se distinguantur, qua ratione augeantur ac minuuntur, & id genus alia circa eorum naturam inquiri. Hæc tamen omnia latè in Philosophiâ tractari Diff. XXVIII. XXIX. XXX. & XXXI. de Anima: quare his omisis, de habitibus in particulari, seu de virtutibus & vitiis aliquid attexam, veluti præludium ad ea, quæ de his speciatim inferius sunt disputanda, utpote de quibus peculiare postea instituendi sunt tractatus.

SECTIO PRIMA.

Nonnulla circa Virtutis in genere naturam annotantur.

I.
Virtutis nomen diversis modis accipi ab authoribus solent.

VIRTUTIS nomen variè à variis sumi solet: primò pro quacunq; rei perfectione, seu facultate operandi: sic Psal. 32. vers. 26. dicitur: Verbo Domini cali firmati sunt, & spiritu oris ejus omnis virtus eorum. Secundò virtus dicitur opus aliquod excellens: sic sumitur Marci 6. v. 5. Non poterat ibi virtutem ullam facere. Tertio, ut alias virtutis acceptiones omittam, virtus significat actum aliquem bonum morale, vel hujusmodi actus principium, habitum scilicet, ad illum producendum peculiariter ordinatum. Hæc est præcipua virtutis acceptio, & hoc sensu disputant de eâ in præsentî Theologi, nempe quasi de vi quadam, per quam homines, insurgentes contra rationem animi motus devincunt, vitamq; ad omnem honestatem, moresq; homine dignos instituunt: qua de causâ virtutis nomen à vi aliqui, alii à viro desumptum esse volunt, quòd nimirum ad illam inter tot perturbationes ac passiones, vehementesq; naturæ, jam per peccatum depravata, ad vitia affectus, constanter exercendam, viribus opus sit, summoq; animi robore, & fortitudine planè masculâ.

Præcipua virtutis acceptio.

Vnde virtutis nomen sit deductum.

II.
De quo virtutis notio & natura consistat.

Virtus ergo (de moralibus est sermo) est habitus perficiens rationalem naturam, voluntatemq; ad rectè honesteq; operandum, efficienter adjuvans ac facilitans. Hoc reipsa docet Aristoteles, dum 2. Ethic. cap. 6. virtutem esse ait, qua bonum facit habentem, & opus ejus bonum reddit. Huic etiam conforme est, quod tradit S. Augustinus libro 83. Questionum, & 4. de Civ. cap. 21. ex Cicerone virtutem esse artem rectè vivendi: quod tamen de arte objectivâ, seu habitibus per artem acquisitis intelligi debet, ars enim formalis spectat ad intellectum, ut constat. Ad quam rem S. Thomas hic q. 55. art. 4. de virtute loquens: Est, inquit, bona qualitas (seu habitus) mentis, qua rectè vivitur, & qua nullus male vitur: quam

Quo sensu virtus sit ars rectè vivendi.

Deus in nobis sine nobis operatur: quas ultimas particulas addit S. Doctor propter virtutes infusas, quæ in hoc differunt ab acquisitis, quòd non per actus nostros producuntur, sed à Deo immediatè infundantur.

Hinc ergo constat virtutem, prout de eâ isthic loquuntur Theologi, non consistere in actu; propter unum quippe actum non dicitur homo studiosus; sed in aliquo permanente sita est, quod potentia superadditum, eam ex se indifferentem, ad hoc vel illud objectum pronam reddit, & quodam quasi pondere inclinât: hoc verò quamdiu manet, etiamsi quis non operetur, imò dormiat, nihilo tamen secius virtutem non amittit.

Præter virtutes morales seu appetitivas, jam explicatas, dantur etiam virtutes intellectuales, quæ intellectum ad actus veros eliciendos inelinant ac juvant, sicut virtutes morales juvant & inclinant voluntatem. Has virtutes intellectuales quamvis multi in habitibus statuant à speciebus distinctis, ut dixi Disp. 28. de Anima sect. secundâ, probabilis tamen existimo, ut loco citato fufius declaratum est, eas à speciebus intelligibilius non distingui. Sed perinde est quoad præsens, quod enim illi dicunt de habitibus, nos dicemus de speciebus. Nunc ergo ad alia pergamus.

III.
Præter actum hominum non dicitur studiosus.

IV.
Dividuntur virtutes in morales & intellectuales.

SECTIO SECUNDA.

Vtrum omnis habitus virtutis sit essentialiter virtus.

RATIO dubitandi desumitur ex dicto illo S. Thomæ sect. præcedente, num. 2. relato, Status præsentis virtutis est, qua nullus male vitur: ex quibus S. Doctoris verbis confici videtur, eam virtutis esse indolem, ut ad illud, quod in se quidquam mali continet, concurrere, seu inclinare nullo modo possit, ac proinde habitum qui circa actus bonos semel versatus est, illos scilicet producendo, nunquam versari hoc modo posse circa malos. Quærimus itaque, utrum habitus ille, qui est virtus, sit essen-

I.
Status præsentis virtutis est, qua nullus male vitur.